



Disputatio philologica inauguralis de Luciano philosopho

<https://hdl.handle.net/1874/300180>

8

DISPUTATIO PHILOLOGICA INAUGURALIS
DE
LUCIANO PHILOSOPHO.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI TER HAAR
THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

ISAÄCUS GERARDUS VAN EYKEN,
Amisurtensis,

A. D. XXX M. JUNII, ANNI MDCCCLIX, HORA IX.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD POST UITERWEER & SOC.
MDCCCLIX.


Ex officina typographica J. G. Andriessen.

PATRI CARISSIMO.

CONSP ECT U S.

	Pag.
PRAEFATIO.	1
DE LUCIANI VITA ET SCRIPTIS.	6
QUALE JUDICIUM DE PHILOSOPHIA ET DE CLARIS PHILO- SOPHIS IN SCRIPTIS SOPHISTICIS PRIMAE PERIODI TULERIT LUCIANUS, EXPO NITUR.	13
IN SCRIPTIS SECUNDÆ PERIODI QUID DE PHILOSOPHIA STATUERIT LUCIANUS, EXPO NITUR.	24
QUID DE PRAE CIPUIS PHILOSOPHORUM PLACITIS IN SCRIPTIS SECUNDÆ PERIODI STATUERIT, EXPO NITUR.	40
QUID LUCIANUS IN ULTIMA VITÆ PARTE DE PHILOSOPHIA STATUERIT, EX SCRIPTIS SENILIBUS EXPO NITUR.	48
LUCIANUM PHILOSOPHIAM PRACTICAM LAUDASSE DEMON- STRATUR.	53





P R A E F A T I O.

Neminem, qui vel primoribus labris Lucianea attigerit, fugit quam discrepantes et contrariae sint virorum doctorum de hujus scriptoris ingenio sententiac. Sufficit recensionem a Jacobo¹⁾ institutam legisse, ut cognoscatur inde a Lactantio usque ad nostram aetatem de illius meritis utrimque quasi de Patrocli corpore acerrime pugnatum esse. Neque id mirandum. Lucianus enim cum religionem popularem saepissime lusit, tum etiam de Socrate aequa ac de Christo ejusque sectatoribus, parum magnifice judicavit; nunquam igitur defuerunt, qui indignati quod sanctissima quaeque

1) Charakteristik Lucians von Samosata von Karl Georg Jacob.
Hamburg, bei Fr. Perthes. 1832. pag. 3—17.

multo sale defricuisset, levem et malignum hominem eum appellarent, praeter sermonem purum, elegantem, facetum nihil in eo laudantes.

Ita vero omnem Luciano laudem detrahi non passunt viri tam ingenio quam doctrina insignes, Wielandus,¹⁾ Jacobus, Hermannus,²⁾ qui et scriptis illius diligentius lectis et temporibus melius perspectis patronos ejus se professi sunt. A pluribus eum crimibus luculenter defendit Wielandus in characterismo Luciani operibus praefixo; doctius et copiosius idem fecit Jacobus, qui tamen prae magno amore, quo illum prosequebatur, laudandi studio saepc nimis indulxit. In hujus libro quae improbanda sint nemo acutius vidit quam Car. Fred. Hermannus, qui cum animadvertisit in notandis Luciani scriptis nec chronologicum librorum ordinem ab illo servatum esse nec scripta spuria a genuinis satis diligenter esse semota, tum illud maxime reprehendit, quod de Luciani philosophia Jacobus tam paucā et exilia protulisset.

1) Lucians von Samosata sämmtliche Werke. Th. I. Ueber Lucians Lebensumstände, Charakter und Schriften.

2) Gesammelte Abhandlungen und Beiträge zur Classischen Litteratur und Alterthumskunde von Dr. Karl Friedrich Hermann, Prof. in Göttingen. 1849. № X. Zur Charakteristik Lucians und seiner Schriften. 201—208.

Nec immerito. Quicumque enim Luciani ingenium omni ex parte cognoscere et recte aestimare velit, is nisi quid de philosophia ille senserit bene cognitum habeat, a scopo aberrabit. Philosophia enim erat fons ex quo homines eruditi, qui popularem religionem contemnerent, quid de mundi creatore et gubernatore, quid de animi immortalitate esset statuendum discebant.

Jam vero quis non agnoscit, quam quisque habeat de rebus divinis sententiam, eam tam in rebus humanis aestimandis quam in dijudicandis ipsis hominibus summi esse momenti? Nec quisquam certe erit qui non perspiciat, inde omnem de finibus bonorum et malorum quaestionem pendere.

De hac autem re jam pridem mirum quantum dissidentiunt viri docti. Alii in Epicureorum gregem eum rejicere non dubitant, ¹⁾ alii Electicum, ²⁾ alii Scepticum fuisse ³⁾ asseverant. Photius sic de illo judicat: *τας γράμματας της οπίστειας*

1) G. J. Vossius de hist. graec. litt. II. 15. Tillemont. Hist. d. Emp. T. II. part. 2. p. 707—710.

2) Brucker. Hist. Crit. phil. T. II. p. 615 sq. Tiemann über Lucians Schriften und Philosophie. S. 57.

3) F. F. Reitzii Sylloge de aestate, vita scriptisque Luciani, p. LXX (operibus a Lehmanno praefixa): „nam Scepticum fuisse Nostrum, satis prodit, utcumque Scepticos belle traducat in *Vit. Auct.* c. 27.” Jacob. l. l. p. 85.

ἄλλων κωμῳδῶν καὶ διαπαιζῶν δόξας αὐτος ἦν
Θειάζει οὐ τίθησι: quem Baylius et Tzschernerus secuti
sunt.¹⁾ Hermannus illum per magnam vitae partem
de omni philosophia desperasse, aetate vero proiectiore
Epicurum secutum esse statuit.²⁾ Plankius per quin-
que annos Lucianum serio philosophiam tractasse pro-
 certo affirmat.³⁾ Rankeus philosophiam a Luciano
laesam et principes illos, Socratem, Platonem, alios, ab
eo contemptos esse praeccise negat.⁴⁾ Chlebus, postquam
monuit Lucianum omnem philosophiae institutionem
talem duxisse, ex qua detrimenti et incommodi multum,
utilitatis parum percipere homines possent, postremo
haec addit: „qui quum nihil querendum esse
scintiret omnibus philosophorum studiis nisi praesidia
ad vitam bene instituendam idonea, Cynicos, si
moderate illorum inventis uti quis vellet, non totos

1) Phot. Bibl. cod. 128. Pet. Bayle, Lex. hist. crit. s. n. Perriers, T. III. p. 678. Tzscherner Fall des Heidenthums. Th. I. s. 155.

2) I. l. p. 214.

3) Qnaestiones Lucianeae. Libelli Luciani tempore atque ordine
disponuntur, eorumque argumenta ita enarrantur, ut quid de Luciani
satira, philosophia librorumque nonnullorum, qui videbantur his-
torici, fide judicandum sit, appareat. Scripsit Ad. Planck. Tubingae,
ex off. L. T. Fues. 1851. pag. 10.

4) Pollux et Lucianus. Scripsit C. F. Ranke. Quedlinburgi. 1831.
p. 25.

„ rejiciendos judicabat; at, cum hominum ingenia ad
„ illos repraesentandos vix comparata esse reputaret,
„ nihil melius et fructuosius habebat quam voluptatibus,
„ quae satisfacerent sensibus, nos tradere et caetera
„ quoconque modo fortuna tulisset nihil curare.“¹⁾

In tali virorum doctorum dissensione ipsa Luciani
scripta adeamus necesse est; ante autem quam ad pro-
positam nobis quaestionem aggredimur, de Luciani vita
et scriptis pauca praemonenda.

1) De Luciano philosopho dissertationem seripsit Guil. Chlebus.
Berolini. 1837. p. 54.



DE LUCIANI VITA ET SCRIPTIS.

Luciani vitae enarratori unicus fons sunt ipsius scripta ; quae enim Suidas ¹⁾ de illo refert ita sunt comparata , ut nisi quam fuerit huic compilatori ignotus et invisus discere inde nihil liceat. Quamquam autem omnes, qui ejus vitam attigerunt, de fonte unde notitia ejus pe-

1) Δουκιαρός Σαμοσατεὺς ὁ ἐπικληθεὶς βλασφημὸς ἡ διέφημος [ἢ ἀθεος εἰπεῖν μᾶλλον], δτι ἐν τοῖς διαλόγοις αὐτοῦ γελοῖα καὶ τὰ περὶ τῶν θείων εἰρημένα παρατίθεται. γέγονε δὲ ἐπὶ τοῦ Καίσαρος Τραϊανοῦ καὶ ἐπέκεινα. ἦν δὲ οὗτος τὸ πρὸν διηγόδος ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας δυνπραγήσας δὲ ἐν τοιτῷ ἐπὶ τὸ λογοχραφεῖν ἐτράπη, καὶ γέγραπται αὐτῷ ἄπειρα. τελευτῆσαι δὲ αὐτὸν λόγος ὑπὸ ουρῶν, ἐπει
κατὰ τῆς ἀληθείας ἐλύτησεν. εἰς γάρ τὸν Περεγρίνου βίον παθάπτεται τοῦ Χριστιανισμοῦ, καὶ αὐτὸν βλασφημεῖ τὸν Χριστὸν ὁ παμμίαρος. διὸ καὶ τῆς λίττης ποινὰς ἀρκούσας ἐν τῷ παρόντι δέδωκεν ἐν δὲ τῷ μέλλοντι οὐλησθενόμος τοῦ αἰωνίου πυρὸς μετὰ τοῦ Σατανᾶ γενῆσεται. Suidas ed. Gaisford, Tom. II. p. 2334. ed. Bernh. Vol. II., p. 604.

tenda sit idem sentiunt, tamen mirum quantum in vitae enarratione a se discedunt. Neque id mirum cuiquam accidet, qui, quae in vitae enarratore requirantur, reputaverit. „Nam primum, ut verissime monuit Rankeus¹⁾, quum ex ipsis Luciani libris vera cognitio haurienda sit, qui hos non accuratissime legit nec „graccae linguae peritissimus est, ut verba ejus optime intelligat, non poterit recte de rebus Luciani exponere. „Accedit quod Lucianus non nude pleraque et simili pliciter quae de se profert explicat, sed, ut mos est „apud scriptores satyricos, tecte nonnulla significat magis „quam aperit.“ Postremo, quam necessarium sit, ut a vitae enarratore et genuini libri a spuriis secernantur et scripta temporum ordine disponantur, idem copiose exponit. At vero quum neque de nonnullorum librorum fide neque de tempore, quo singuli scripti sint, satis constet, nonnisi ea quae pro certo affirmari possunt commemorabo.

Lucianus natus est Samosatae²⁾; ejus autem parentes natione non Syros, sed Graecos homines fuisse veri simile est. Cum desiisset in scholas ventitare, quindecim fere

1) Ranke, l. l. p. 15 seq.

2) *Seytha*, cap. 9. *Reviviscentes*, cap. 19. *Quomodo historia sit conscribenda*, cap. 24. Cf. Forbiger, *Alte Geographie*, th. II. p. 648.

annos natum pater cum leviro in disciplinam dedit, ut artem statuariam disceret qua exercenda victum sibi quaereret. At mox artis hujus desertor exstitit; rhetor et sophista factus est. Quis ejus studia magister rexerit, ubi eruditionis copiam rhetori et sophistae necessariam sibi comparaverit, nullibi tradit. Itinera eum multa fecisse et varias adiisse regiones¹⁾, felici rerum successu gavisum esse et haud sine laude in patriam rediisse²⁾ ipse in *Somnio* aperte testatur.

Eadem sere narrat in dialogo, qui inscribitur *Bis Accusatus* cap. 27 sqq. ubi a Rhetorica tanquam a derelicta uxore per fictionem judicii publici *πανώσεως* accusatur, quae talia contra illum profert: „Mca ille opera gloria et divitiis gaudet, quippe quae admodum adolescentem, lingua adhuc barbarum, circa Joniam oberrantem et quid de se ipso faceret dubium, suscepit atque institui. Quoquoversus eum secuta sum, ut clarum et nobilem redderem. At quae in Jonia et Graecia feci, modica sunt; trajecto vero Jonico sinu in Italiam illum secuta sum, in Gallia eum locupletavi. Nunc vero me

1) *Somn.* cap. 15: ἀπὸ τῆς ἔω ἀρξάμενος ἄχοι πρὸς τὰ ἐσπέρια κ. τ. λ.

2) *Somn.* cap 18: οὗτος δὲ πρὸς ὑμᾶς ἐπανελήκυνθα, εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο, οὐδὲνός γοῦν τῶν λιθογλυφῶν ἀδοξότερος. Cf. *Apologia*, cap. 15.

dereliquit, ut cum Dialogo consortium iniret.¹⁾ Lucianus ut concedit Rheticam vera hacc dixisse, ita negat se non idoneas ob causas illam dereliquisse, quippe quae a pristina vitae simplicitate recedens jam meretricio more vivat. *Καίτοι, (ita pergit) εἰ καὶ μηδέν αὐτῇ τοιοῦτο ἐπέπρακτο, καλῶς εἶχε μοι ἀνδρὶ ηδη τετταράκοντα ἔτη σχεδὸν γεγονότι, θεριβῶν μὲν ἐκείνων καὶ διων ἀπηλλάχθαι, καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς διαστὰς ἀτρεμεῖν ἔτιν, τυφάννων πατηγοίας καὶ ἀριστέων ἐπαίγους ἐμφυγόντα, ἐς δὲ τὴν Ἀκαδημίαν ή ἐς τὸ Λυκεῖον ἐλθόντα τῷ βελτίστῳ τούτῳ Διαλόγῳ συμπεριπατεῖν ἡρέμα συνδιαλεγομένους, τῶν ἐπαίρων καὶ ιρότων οὐ δεομένους.* Inde offici potest, quadragenarium Lucianum, missis rhetoricis et sophisticis studiis, comico-satiricos dialogos scribere instituisse (conf. cap. 34.) Sunt tamen qui provocantes ad locum *Piscatoris* cap. 29 putant, Lucianum in adolescentia prius rhetoricae operam dedisse, inde demum sophistam esse factum, quum propter malas oratorum artes judicia reliquisset¹⁾). Verba haec sunt: *Ἐγὼ γὰρ ἐπειδὴ τάχιστα συνεῖδον ὅπόσα τοῖς ἥητορεισουσι τὰ δυσχερῆ ἀναγκαῖον προσεῖναι, ἀπάτην καὶ φεῦδος καὶ θρασύτητα καὶ βοήν καὶ ὠθισμοὺς καὶ*

1) Cf. A. Mees, *Dissertatio de Luciani studiis et scriptis juvenilibus.* 1841. pag. 19.

μυρία ἄλλα, ταῦτα μὲν, ὡσπερ εἰκὸς ἦν, ἀπέφνγον,
ἐπὶ δὲ τὰ σὰ, ὁ Φιλοσοφία, παλὰ δρμήσας ἡξίουν
όπόσον ἔτι μοι λοιπὸν τοῦ βίου παθάπερ ἐν ζάλης
καὶ πλευρῶν εἰς εὑδίουν τινα λιμένα σπεύσας ὑπὸ σοὶ¹⁾
σκεπόμενος παταβιῶναι.²⁾ De hoc autem loco recte
Meesius monuit, hic non juvenilem aliquam a forensi
ad scholasticam eloquentiam transitionem significari,
sed eam qua, relicta omnino utraque, ad philosophiae
otium et novum scribendi genus se convertaret.

Conversis studiis magnam vitae partem Athenis cum
deuisse cum ex scriptis satiricis, quorum scenam fere
semper urbem Athenas fecit, conjici potest, tum e
Demonactis cap. 1, ubi cum hoc philosopho, qui
Athenis vitam degebat, per magnum temporis spatium
familiariter se vixisse dicit, pro certo affirmare licet;
Θατέρῳ δὲ τῷ Αημώνωντι καὶ ἐπὶ μήκιστον συνεγενόμην.

Senex denuo sophisticas recitationes composuit¹⁾,
afflictis, ut videtur, fortunis coactus; extremo vitae
tempore publico munere in Aegypto functus est (*Apol.*
12)²⁾. Quo aetatis anno mortuus et ubi sepultus sit,

1) *Bacchus*, *Hercules*, pro lapsu.

2) Luciani Samosatensis opera edidit Guil. Dindorf. vol. 1. 1858.
pag. VIII: „Apparet ex his verbis, quae non explicuerunt interpres,
„Lucianum hypomnemata graphum fuisse praefecti Alexandriae, cuius
„muneris mentio sit apud Strabonem 17, p. 797, et in codicis Theodo-

plane latet. Quod autem ad annum Luciani natalem attinet, Wielandus ¹⁾ anno CXVII p. Chr. n., Struvius ²⁾ anno CXXX p. Ch. n. natum cum existimabant. Accuratus vero hanc quaestionem explicaverunt Wetzlarius ³⁾ et Meesius ⁴⁾; quorum hic annum ejus natalem non potuisse post a CXXV p. Ch. n. incidere demonstravit, ille ipsum hunc annum natalem ei fuisse probabiliter constituit.

Ut Luciani vita in tres partes, ita scripta ejus in tria genera aptissime dividuntur: scripta sophistica juvenilia, dialogos comico-satiricos, recitationes sophisticas seniles. Non est quod moneam in aestimando scriptoris

*„ siani libro XII, lege 192, Tit. I, de decurionibus : „si quos spontaneos
„ hypomnemographi (Alexandrinae civitatis) munificos suis exhorta-
„ tionibus ad publicas nominaverint functiones, Augustalis Jubemus
„ non expectandum esse consensum, qui fit plerumque venalis “ etc.
„ quem locum Valesius comparaverat ad Ammian. Marcell. 28, 1, 21,
„ et apud Philonem Judaeum adversus Flaccum, vol. 2. p. 536, 21,
„ de Lampone quodam loquentem, παρεστώς γάρ τοῖς ἡγεμόσιν
„ ὅπότε δικάζοιντο, ὑπεμνηματίζετο τὰς δίκαιες εἰσάγων
„ ὡς ἔχων τάξιν ἐίτα τὰ μὲν ἀπήκειφεν η παρῆιει ἐκὼν,
„ τὰ δ' οὐ λεγθέντα προσενέταττεν. ”*

1) I. l. Th. I. S. XVII.

2) De aetate Luciani scripsit E. Ae. Struvius, Gorlicii, 1829 pag. 3.

3) God. Wetzlar. Commentatio de aetate, vita et scriptis Luciani. Marburg, 1834, pag. 4—12.

4) Mees. I. l. p. 70—72.

ingenio et adumbrando charactere opera tam tempore quam argumento et consilio tantum inter se distantia non eadem trutina esse ponderanda. Recte monuit Hermannus¹⁾, in Luciani characterismo senilia viri scripta et multo magis juvenilia nisi „cum grano salis“ adhiberi non posse, quippe quae veram Lucianei ingenii effigiem admodum raro ostendant. Nec mirum: sophista enim prae benevolentiae captandae studio saepe verba et sententias ad auditorum mentes et voluntates accommodare debuit. Maximi vero momenti sunt dialogi comicо-satirici, in quibus quid de rebus divinis et humanis ipsi videretur libere elocutus est.

His animadversis disquisitionem nostram ita instituere propositum est, ut quid Lucianus per tres illas vitae periodos de philosophia et de philosophis statuerit ordine exponamus.

1) Hermann. l. l. p. 210: „Ob und was fur äussere Umstände in diesen Jahren (per ultimam vitae partem) den freien flug des Adlers wieder zur Erde niederzogen ist unbekannt; so viel aber ist sicher, dass diese Schriften nur *cum grano salis* zur Charakteristik ihres Urhebers gebraucht werden können. Noch mehr aber gilt dieses von der ungleich grössern Zahl derer, die wir seinen Jugendjahren und der Zeit vor jenem vorhin bezeichneten Normal- und Wendepunten zuweisen müssen“ u. s. w.

QUALE JUDICIUM DE PHILOSOPHIA ET DE CLARIS
PHILOSOPHIS LUCIANUS IN SCRIPTIS SOPHISTICIS
PRIMAE PERIODI TULERIT EXPOSITUR.

Inter scripta, quae omnium criticorum consensu ad juvenilem Luciani aetatem referuntur, primum locum tenet liber *de Saltatione*. Est ea disputatio mere sophistica, duabus ex partibus constans, quarum altera (præfatio) attico sale abundat, altera (artis pantomimicae laudatio) multis mendis laborat. Ad libri tempus accuratius definiendum certa indicia desiderantur.

Colloquitur ibi Lucinus quidam cum Cratone, philosopho cynico, barbato sene, qui ei summam levitatem, immasciviam exprobraverat, quod pantomimis gauderet; a quibus opprobriis ille ita se defendit, ut Cynicum res nulla reprehensione dignas, contra laudandas potius, præ inscitia carpere ostendat¹⁾). Cynicus vero, istud nihil

1) Cap. 1. *καὶ συγγνώμη σοι, εἰ ἐξ ἀρχῆς βιώ αὐχ- μηδῶ συζῶν, καὶ μόγον τὸ σκληρὸν ἀγαθὸν ἡγούμενος ὅπ’ ἀπειρίας αὐτῶν, κατηγορίας ἀξια εἶναι νερόμινας.*

ad se pertinere ratus, nova convicia in illum confert: Tu vero qualis homo es, o Bone, qui, quum eruditioni innutritus sis et philosophiae mediocriter operam dederis, prae saltatore optimarum artium studia et antiquorum consuetudinem missa facias; aegre fero, quod optimorum oblitus virorum, Platonis, Chrysippi et Aristotelis, tali spectaculo delectaris.

Lucianus igitur juvenis philosophiae mediocriter operam dedit, at non ita, ut unam scholam prae ceteris probaret¹⁾). Nec mirandum, si rhetor et sophista, ut de quaque re eleganter et copiose dicere posset, philosophiam etiam attingere necesse habuerit, idem, ut sermone puro et Attico uteretur, scriptores Atticos, in quibus Plato facile primas tenet, saepe lectitaverit²⁾). Principum igitur philosophorum scripta legit Lucianus, nullius tamen sectae doctrinam prae ceteris amplexus est, immo propter philosophiae pudorem homines interdum ignota reprehendere, cap. 69 tecte philosophiae in-

1) οὐκ ἡδέσθην μόνον ὑπὲρ σοῦ, ἀλλὰ καὶ ἡμιάθην,
εἰ Πλάτωνος καὶ Χρυσίππου καὶ Ἀριστοτέλους ἐκλα-
θόμενος, κάθησαι κ. τ. λ.

2) *Pisc.* cap. 6. *Bis Acc.* cap. 34. Cf. C. G. Cobet, *Variae lectiones*, qui p. 300 sqq. Lucianum saepe antiquum dicendi usum non satis observasse multis docuit.

putat¹⁾). Haec de philosophia universe; quae enim cap. 35 de physicae ethicae et dialecticae vi, quam in saltatorem habeant, disserit, non ita sunt comparata, ut inde satis tuto aliquid effici possit.

Restat igitur ut quid de clarissimis philosophis statuerit exponamus. Et primum quidem in censum venit locus cap. 25, ubi Socratem *σοφώτατον ἄνδρα* appellat. Cave tamen ne inde efficias Lucianum de Socrate magnifice sensisse; latet anguis in herba, ut jam significant verba, quae addit: *εἰγε πιστευτέον τοῦτο περὶ αὐτοῦ λέγοντι τῷ Πυθίῳ*. Immo tecte Socratis illicitum puerorum amorem perstringit, ubi de illo hoc dieit: si ars pantomimica Socratis actate floruisse, non illa prius quidquam pueros doceri jussisset. Urgere tamen haec verba nolle, nisi aliunde nobis constaret, Lucianum hac in parte inique de Socrate judicasse.

In eodem libro duobus locis mentionem injicit de Platone: cap. 34 hunc philosophum alia saltationis genera laudasse, alia rejceisse nude ponit; cap. 70 Platonicam animae divisionem commemorat, additis verbis: *εἰ δ'*

¹⁾ *Τιμοκράτης δὲ ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ* (Lesbonactis) *ἴδων ποτε ἀπαξ, οὐκ ἔξεπίτηδες ἐπιστὰς, ὀρχηστὴν τὰ αὐτοῦ ποιοῦντα, Οίου με, ἔφη, θεάμυτος η πρὸς φιλοσοφίαν αἰδὼς ἀπεστέρωμεν.*

έστιν ἀληθῆ ἢ περὶ ψυχῆς οἱ Πλάτων λέγει, quibus satis declarat, se illam neque probare neque rejicere. Multo minus ex iis, quae cap. 70 de Aristotele pulchritudinis laudatore et quae de saltatoris silentio habet, quo Pythagoricum dogma innuatur, efficere licet, quid de his philosophis statuerit. Ceteros igitur philosophos a Luciano ibi neque laudatos neque laesos esse constat; Socratem exceptimus. Videamus igitur, quid in aliis scriptis hujus periodi de illo statuerit Lucianus.

Nullibi tam aperte puerorum amorem pudicissimo viro culpae dat quam in libro, cui titulus est: *de Domo*. De vi enim, quam locorum amoenitas in oratorem habet, disserens ita pergit: *μαίτοι Σωκράτει μὲν ἀπέγοησε πλατανον εὐφνία καὶ πόσα εὐθαλής καὶ πηγὴ διαυγῆς μικρὸν ἀπὸ τοῦ Εἴλισσοῦ, πάντανθα καθεξόμενος Φαίδρου τε τοῦ Μνημονούσιον πατειρωνεύετο καὶ τὸν Αυσίου τοῦ Κεφάλου λόγον διηλεγεῖ καὶ τὰς Μούσας ἐπάλει καὶ ἐπίστενεν ἡξειν αὐτὰς ἐπὶ τὴν ἐρημίαν συμπεριληψομένας τῶν περὶ τοῦ ἔρωτος λόγων. καὶ οὐκ ἥσχύνετο γέων ἀνθρώπος παρακαλῶν παρθένους συνεσομένας τὰ παιδεραστικά.*

Multum valet hic locus ad infringendam opinionem eorum,¹⁾ qui Socratem a Luciano vituperatum esse negant. Quum enim neque

1) Ranke, l. l. p. 25.

disputationis nexus ejusmodi digressionem requirat et serio loquens talia de philosophiae parente affirmet, pro certo statuere audeo illum ex intima animi persuasione Socratem, ut qui τὰ καλὰ in ore haberet ad obscenos amores tegendos, odisse. Haud facile cuipiam continget ut hac in re levitatis crimen a Luciano amoveat; illud tamen monere lubet, et Soeratis aetate et postea non defuisse, qui minus magnifice de illo judicarent. Cicero de Nat. Deor. 1, cap. 34, idem illud de Zenone affirmat, qui non eos solum, qui tum erant, philosophos, Apollodorum, Syllum, ceteros figebat maledictis, sed Socratem ipsum, parentem philosophiae, Latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat.

Eandem criminationem iterum reperimus in libro, cui titulus est *Amores*, cap. 23, 24 et 48, ubi Socrates et Plato ut paedesteriae laudatores carpuntur a Chariele, contra laudibus efferuntur a Callicratida. Quum vero de hujus libri auctoritate¹⁾ non constet, hos locos urgere nolo.

1) Hic liber ob dicendi genus nimis tunidum et ab Luciano discrepans a multis addubbitatur. Solanus vero conjectit, idque Hermannus 1. l. p. 204 pro certo affirmit, hoc opus esse conscriptum a Luciano, Asiana inflatae ac tunidae rhetoricae alumno. Quidquid est, meliora monnerunt quam Planckius, qui 1. l. p. 16 haec dicit: „mihi quidem eo

Transeamus ad eos locos, ubi Socratem cum laude commemorat Lucianus. Primum in censem venit liber, cui titulus est, *Calumniae non temere esse credendum*, cap. 29; hoc autem opus quum a Planckios ad scripta senilia referatur, prius quibus argumentis ab hujus sententia discedere cogar exponam.

Planckius p. 31 nude haec ponit: „tres in Aegypto conscripti libri, *Apologia*, *Calumniae non temere esse credendum* et *Pro lapsu*.“ Deinde p. 34 narrat Lucianum apud praefectum Aegypti impietatis accusatum hanc defensionem scripsisse: „munus istud Aegyptiacum cum teneret Lucianus, pravae etiam, ut videtur, ejus de rebus divinis opiniones ad praefectum Aegypti deferabantur (cap. 10, 12, 14): itaque Lucianus in libello,

„tempore scriptus videtur hic liber, quum Luciani ingenium adolevisset jam satis, ut res serias tractandi meliorem quae in eo inerat naturae partem saepe incederet cupiditas; at relabentem videmus hominem ob vanissimae gloriae libidinem ad corruptissimos saeculi mores et sensus, ita ut qui aemulus modo fieri voluit per Nigrinum vitae perfectae a Platone institutae vel Triptolemi assetator in seminibus sapientiae et honestatis in animos hominum spargendis, idem libenter tissime fieret Epicuri de grege porcus.“ Idem de Aristophane, Horatio, Wielando et Voltario ita disputat, ut quam vim habeat in talibus viris dijudicandis divinarum rerum persuasio, praeter Suidam et scholiastam Iuculentins illo exemplum invenire non potuerimus.

"Calumniae non tenere esse credendum, delationibus ejusmodi maximam rebus privatis ac publicis afferri pestem docet, monetque quomodo illis occurrentum sit." Tota vero haec narratiuncula Planckii nititur conjectura putantis, Lucianum locis modo laudatis se ipsum significasse; hos igitur expendamus. Cap. 10 et 12 Lucianus narrat calumniam in aulis principum maxime vigore; res satis inter omnes nota; nunquam tamen Lucianus eoram praefecto tali defensione usus esset, qua mores eorum qui in aulis degunt acerbissimis figuntur conviciis: *Ἐνθα δέ μὲν χρηστὸς ἀτεχνῶς εὐθὺς ἀνατέτραπται καὶ παρασένυρται καὶ τὸ τελευταῖον ἀτίμως ἐξέωσται, οὐδὲ κολακευτικώτερος καὶ πρός τὰς τοιαύτας καινοθείας πιθανώτερος εὐδοκιμεῖ καὶ ὅλως φθάσας κρατεῖ πτέ.* (cap. 10.) Cap. 14 calumniatores adversus pii hominis amicum atheismi et impietatis insimulatione uti solere dicit. Inde vero quo jure aliquis efficiat Lucianum se ipsum respexisse, non video. Praefecto enim, quisquis ille fuit, qui ei hoc munus obtulit, nec scripta ejus nec arcta cum Epicureis necessitudo ignota esse potuerunt. Apparet igitur totam hanc narratiunculam mera niti Planckii conjectura, quare Mceesium¹⁾ potius sequor, qui librum illum ad juvenilia Luciani scripta retulit; recte

1) I. I. p. 37.

enim haec monet: „ Sermonis granditas ac rhetorici loci
 „ communes passim testantur declamationem hanc esse
 „ potius quam hortationem, qua propriam caussam
 „ Lucianus adversus philosophorum calumnias tueri
 „ studuerit. Etenim calumnias istas longe diversa ratione
 „ ipse posteriore aetate, quum demum id fieri necesse
 „ erat, castigare aggressus est.“

Haec eam ob causam praemisi, ne quis ex cap. 29
 efficeret, Lucianum aetate provectiore suum de Socrate
 judicium in melius mutasse. Leguntur ibi haec:
*τί γὰρ ἀν τις η τὸν Σωκράτην λέγοι, τὸν ἀδίκος
 πρὸς τοὺς Ἀθηναίους διαβεβλημένον ως ἀσεβῆ καὶ
 ἐπιβούλον;* Hic Lucianus inter eos, quibus insontibus
 pernicies a calumniatoribus esset allata, Socratem ut
 illustrissimum exemplum refert. Id autem criminatioi
 supra in cum collatae nequaquam repugnat; aliud est
 enim pueros amare, aliud deos negligere et libertati
 insidiari.

Cavendum item, ne nimium tribuas iis quae in *Somnio*,
 cap. 12, de Socrate disseruntur. Ibi Eruditio in numero
 eorum quibus gloriam impertiverat Socratem nominat: *ο δὲ
 Σωκράτης καὶ αὐτὸς ὑπὸ τῇ ἐρμογλυφικῇ ταῦτη τραφεῖς,
 ἐπειδὴ τάχιστα συνῆκε τοῦ ιρείτονος καὶ δραπετεύσας
 παρ' αὐτῆς ηὐτομόλησεν ως ἐμέ, ἀκούεις ως παρὰ πάντων
 ἀδεται.* Neminem enim aptius nominare hic potuit

Eruditio quam Socratem, quem perinde ac Lucianum, missa arte statuaria, doctrinae fama nobilitaverat. Haec de Socrate; videamus quid de hujus discipulo Platone senserit.

In libro, cui titulus est *Muscae Encomium*, facete carpit principem Academiae, quod in *Phaedone* ad muscae παλιγγενεσίαν cinere effectam non attendisset: (cap. 7) ὁ δὲ μέγιστον ἐν τῇ φύσει αὐτῶν (muscarum) ὑπάρχει, τοῦτο δὴ βούλομαι εἰπεῖν. καὶ μοι δοκεῖ ὁ Πλάτων μόνον αὐτὸν παριδεῖν ἐν τῷ περὶ ψυχῆς καὶ ἀθανασίας αὐτῆς λόγῳ. ἀποθανοῦσα γάρ μνία τέφρας ἐπιχυθείσης ἀνίσταται καὶ παλιγγενεσία τις αὐτῇ καὶ βίος ἄλλος ἐξ ὑπαρχῆς γίνεται, ὡς ἀκριβώς πεπεῖσθαι πάντας, ὅτι κακείνων ἀθάνατος ἔστιν η ψυχή, εἴγε καὶ ἀπελθοῦσα ἐπανέρχεται πάλιν καὶ γνωρίζει καὶ ἐπανίστησι τὸ σῶμα καὶ πέτεσθαι τὴν μνίαν παιεῖ. τ. 2. Haec tamen verba ita sunt comparata, ut quid de Platone et de animi immortalitate senserit Lucianus inde efficere non audeamus; nisi igitur aliunde constet Lucianum omnem vitae futurae spem abjecisse, hunc locum urgere nolumus.

Haec sunt quae ex scriptis primae periodi ad nostram quaestionem eruere potuimus. Fortasse mirum alicui accidat, quod in hac disquisitionis parte *Nigrini* nullam mentionem feci; huic respondeo non assentiri me Wetzlario

(l. l. p. 37) ex *Hermotimi* loco cap. 24 cum *Nigrino* collato efficienti, hunc dialogum a Luciano viginti quinque annos nato conscriptum esse. Philosophus enim, qui Lucino juveni viam ad virtutis fastigium monstraturum se profitetur (*Herm.* cap. 24), non idem est ac Nigrinus; contra toto coelo, ut ajunt, hi ambo a se invicem distant. In *Hermotimo* enim Lucianus nobis ostendit Stoicum de schola, qui virtutis ardua semper in ore habet, a quo Nigrinus, qui practicam profitetur philosophiam, mirum quantum differt. Potius igitur cum Wielando¹⁾ credimus, Lucianum hunc dialogum scripsisse, quum jam constituisset missarhetorica Athenas concedere²⁾.

1) Wieland. I. l. Th. 1. S. 18, cui assentitur Schoell, Gesch. der Gr. Litt. Bd. II, S. 476. Rankeus l. l. p. 23 hujus libri fidem addubitat: „ceterum practer encomium Demosthenis, Pseudosophistam s. Soloc- cistam, aliosque libellos, adeo Nigrinum s. de moribus philosophi „alius esse scriptoris opus suspicor.“

2) Mees l. l. p. 47, not. 4, qui Wielandum sequitur, ad sententiam corroborandam recte haec monet: „Dialogi scena prope „Romam est, Atheus autem cogitasse Iuc. colligas ex cap. 3 et 12 „sqq. Scriptum esse dialogum quum jam demigrasset Iuc. ex praefixa „epistola apparent.“

Hermannus l. l. pag. 222, not. 51, Wetzlarii sententiam ita defendit, ut tamen a Luciani viginti quinque annos nato confectum esse hunc dialogum neget: „doch will ich allerdings nicht behaupten, dass das

De *Nigrino* plura dicendi locus erit in ea nostrae disputationis parte, qua qualem philosophiam commendaverit Lucianus exponetur.

„Gespräch alsbald nach Lucians zusammentreffen mit Nigrin verfasst „sey, von dem er ja selbst sagt: ἀλλ' ἐγώ οὐ πιθόμην ὑπὸ ἀνοίᾳς
καὶ νεότητός τοτε, πρό πεντεκαίδεκα σχεδὸν ἔτῶν,
„und halte nur die Entstehung desselben in einem angemessenen
„Zeitraume vor dem Hermotimos fest.“

EX SCRIPTIS SECUNDÆ PERIODI, QUID DE PHILOSO-
PHIA STATUERIT LUCIANUS, EXPONITUR.

Nonnisi pauca sunt et exigui momenti quae ex scriptis sophisticis ad quaestionem propositam eruimus, neque tamen illa omni pretio destituta; si enim ex scriptis satiricis, quid Lucianus quadragenarius de philosophia senserit, nobis apparebit, quid ante studiorum conversionem eadem de re existimaverit e paucis illis indiciis colligi poterit. In recitationibus enim sophisticis propter benevolentiae captandæ studium ea quae multis ingrata esse debebant tangere noluit; contra in scriptis satiricis nihil ejusmodo metuens, libere quid sibi de philosophia videretur elocutus est. Ad hanc igitur aggredimur.

Initium hujus disquisitionis faciemus a dialogo, qui *Hermotimus* inscribitur. Ut enim mittam egregias dictionis et compositionis virtutes quibus hic liber excellit, duo

sunt ob quae in hac nostrae disquisitionis parte prae ceteris magni est momenti: primum enim de rebus gravibus graviter hic disputat Lucianus; alterum est, quod brevi post studiorum ejus conversionem hic dialogus est confectus. Quae quum ita sunt, *Hermotimi* argumentum ita enarraturus sum, ut qua disserendi ratione contra philosophorum sectas usus sit appareat.

Lucinus Hermotimum Stoicum sexagenarium rogat, ut sibi viam ad philosophiam monstret. Stoicus primum docendi partes suscipit, mox vero, quum Lucinus ejus rationes et argumenta premat, magistri personam deponit ut auditoris vice fungatur. Lucinus ita disputationem instituit, ut in omnes philosophorum scholas eam valere moneat.¹⁾

Primum ex Hermotimo querit, quibus rationibus ductus, quum philosophari instituisset, Stoicam philosophiam ceteris anteponendam duxerit. Hermotimus magnum Stoicorum numerum, bonam famam qua inter ἴδιωτας florabant, corporis habitum et vestitum decentem memorat, denique, quum firmiora argumenta pro-

¹⁾ Cap. 85: ἀλλὰ ποιος ἐπὶ πάντας ὁ λόγος τὰ γὰρ αὐτὰ πρὸς σὲ εἶπον ἄν, εἰ τὰ Πλάτωνος η Ἀριστοτέλους ἥρησο τῶν ἀλλων ἀνθρώπων ἐρήμην παταγνούς κ. τ. λ.

ferre non possit, ducente numine Stoicam se philosophiam amplexum esse profitetur. Lucinus vero, quum in talibus argumentis acquiescere nequeat, ipse philosophiam quae ceteris sit anteponenda quaerere agreditur.

Virtutem comparat cum urbe, cuius cives beatissimam degunt vitam; viam vero qua hanc urbem adire liceat ignoranti multi se offerunt duces, quorum alius aliam viam monstrat. Iam quomodo bonum ducem ab imperito dignoscere quis poterit? Neque sorti id permettere licet: non est enim prudentis et justi hominis, ut unum aliquem e multis sine idoneis rationibus ceteris anteponat; neque Hermotimum sequi placet, qui unam tantum viam cognitam habeat. Negat Stoicus se ceteras vias nescire, qui a magistro omnes philosophorum doctrinas esset edoctus¹⁾). Leve hoc argumentum ita refutat Lucinus, ut simul moneat nullam scholam sequi ante licere quam quaenam vera sit tibi constet; hac autem de re certum quid affirmari non posse nisi quis in omnes inquisiverit. Negat Hermotimus, his usus exemplis: Si quis dicat bis duo

1) Cap. 32: ὁ γὰρ διδάσκαλος κάπεινα μεταξύ ναι διέξεισι πρὸς ἡμᾶς ναὶ ἀνατρέπει γε αὐτὰ προσθεῖς αὐτός.

facere quatuor, non omnes adeundi erunt arithmeticci, ut utrum hac in re consentiant necne cognoscas; si ergo Stoici vera docent, non necesse habeo ceteros adire philosophos. Ad haec Lucinus: Nihil ad rem est quod dixisti, o bone, quum res, de quibus inter omnes constat, comparaveris cum iis, de quibus omnes dissentient, axiomata arithmeticci cum quaestionibus philosophorum.

Aliud Hermotimus exemplum profert hocce: Si, postquam duo homines in templum intraverunt, poculum furto sit ablatum, satis erit in alterum inquisivisse. Hoc argumentum ita attenuat Lucinus, ut rem ab Hermotimo parum recte esse propositam ostendat. Fac non duo sed plures homines in templum intrasse, praeterea quid creptum sit et ex qua materia confectum plane latere: omnes igitur exuendi erunt, qui templum ingressi sunt, et rebus omnibus in medio depositis nostrum erit εἰκάζειν δ τι ποτ' αὐτῶν πρέποι ἀν θεῶν πτῆμα οἴεσθαι.

Idem provocat ad rationem, qua in ludis Olympicis subcessor (δέξιος) eligatur, quo clarius appareat, nos, nisi omnes philosophorum doctrinas cognitas habeamus, veram invenire non posse. Quod si vero magistrum tali doctrina instructum invenire non possimus, ipsi in singularum scholarum placita inquiramus et quae ab unaquaque proferantur attento animo sub

examen vocemus necesse erit, Epicharmeи dicti memores :
νάφε καὶ μέμναστι πιστεῖν.

Hermotimus hanc quidem veri inveniendi rationem probat ; mox tamen artem longiorem esse , vitam breviorum quam ut hac via veram invenias philosophiam agnoscit. Naturae hanc culpam esse monet Lucinus ; negat Hermotimus , qui omnem jam veri inveniendi spem in cineres redactam videns magna cum indignatione exclamat : *οὐκ, ἀλλ' οὐβοστής εἰναι τούτοις, καὶ οὐκ οἴδομε τι παθών μισεῖς φιλοσοφίαν καὶ εἰς τοὺς φιλοσοφοῦντας ἀποσκόπτεις.* Arrogantiae etiam accusat Lucinum , qui solus se verum perspexisse crederet , ceteros quotquot philosopharentur delirantibus similes haberet. Ille ita se defendit , ut se cum omnibus verum nescire aperte fateatur.

Jam aliam argumentandi viam ingreditur Stoicus ; concedit in omnes philosophias inquirendum esse , negat multum temporis ad tale examen requiri : ut enim ex ungue leonem sūnxit Phidas , ita ex cujusque scholae capitibus ipsius naturam et indolem dijudicare licet. Lucinus , rejectis inanibus comparationibus , concedit scholae cujusque capita intra brevissimum temporis spatium edisci posse , multum autem temporis requiri , ut quaenam earum vera doceat possit dijudicari. Non aliam enim ob causam tot libros conscripsisse philo-

sophos, quam ut pauca illa argumentando probarent.

Aliud argumentum profert Hermotimus, quod huc fere reddit: qui vinum emere cupit, probum vini venditorem adit et ex exiguo specimine totum dijudicat; idem in philosophorum doctrinis faciendum. Negat Lucinus, qui rursus monet ab adversario res, de quibus inter omnes constat, comparari cum iis, de quibus dissentunt fore omnes; quum autem philosophi de iisdem rebus alio die aliter statuant, comparisonem ita demum justam fore dicit, si vas non vino sed variis seminibus repletum cum philosophia comparetur.

Iam inania Hermotimi argumenta satis refutata credens, nova affert, quibus quam difficile sit veram invenire philosophiam ostendat. Nam primum praeter interiorem diversarum disciplinarum cognitionem requiritur acre et subtile ingenium¹⁾ ad eas inter se dijudicandas; tum fieri etiam potest ut nemo veram philosophiam invenerit. Neque minor difficultas inde nobis nascitur, quod optimos eujusque scholae magis-

1) Cap. 64: *κριτικῆς τινος, ὡς θαυμάσιε, καὶ ἐξεταστικῆς παρασκευῆς καὶ νοῦ ὀξέος καὶ διανοίας ἀνηρδοῦς καὶ ἀδενάστον [ἐνδεῖ], οἷαν χρὴ εἶναι τὴν περὶ τῶν τηλικούτων διαπονσαν· η μάτην ἀν απαντα ἔωραμένα εἴη.*

tros ab imperitis dignoscere nos oportet. Nihil igitur nobis restat, nisi ut magistrum inveniamus, qui de demonstratione deque dubiorum dijudicatione artem quam norit nos doceat; quum vero ipsi illi hoc de se profitenti credere non liceat, alter nobis adhibendus erit, qui utrum vera de se profiteatur magister ille necne dijudicare possit; ita autem eadem usque recurret difficultas. Postremo philosophos tali argumentandi ratione uti dicit, qua aut ab principiis minime certis proficiscantur, aut incerta et obscura cum perspicuis et probatis misceant.

His expositis, Hermotimum senem his fere verbis consolatur: Non tu solus a speratis illis bonis procul manes, sed omnes quotquot philosophantur quasi de asini umbra inter se pugnant. Non enim datum est homini, ut tam elatum scopum mentis acie attingat. Ne vero propterea mihi irascare, qui te ex dulci somnio excitaverim. Erroris causa haec esse mihi videtur: quae prima magister tibi tradidit falsa erant; tu autem, cum ista non ita ut par fuerat exploravisses, postea absurdissima quaeque, dummodo cum primis illis consentirent, pro veris habuisti. Multi aetate provectiores, etsi se decepsos esse a philosophis probe sciunt, tacent, ne de pristino honoris statu dejiciantur; si vero aliquem inveneris qui hoc de se profiteatur, hunc veri amantem,

hunc probum, justum et, si lubet, philosophum appella.

In iis quae deinceps addit cum Stoicorum areatalogiam ut humanas vires excedentem reprehendit, tum spinosas quaestiunculas, p[re]ae quibus virtus quae in agendo cernitur saepe negligatur, acerbe carpit; denique Hermotimo auctor est, ut in posterum vulgari more vitam agat, nil nimis elatum animo concupiscat. Hermotimus his dictis obtemperat: deposito pallio, vestem purpuream induit, barbam tondet, in philosophos acerbissimum odium profitetur.

Paullo longius in hujus dialogi argumento enarrando morati sumus, quoniam nullibi quid de philosophia statuerit tam aperte ostendit Lucianus quam in hoc libro.¹⁾ Nam ut concedo illum in hoc dialogo p[re]a-

1) Recte de hujus pretio judicavit Hermannus l. l. p. 207:

„Der Abschnitt über Lucians Philosophie ist der magerste und ungenügendste im ganzen Buche, (in Jacobi libello supra laudato) und gleichwohl hätte diese Schrift gewiss eine ausführliche Analyse in eben so hohem Grade als jede andere verdient, da sie nicht bloss, wie Ihr. Jacob sagt, für Lucians Ansicht von philosophischen Schulen, sondern für seine Betrachtung der Philosophie selbst und des abstracten Wissens überhaupt sehr wichtig ist, und sowohl dem wissenschaftlichen Ernst der Behandlung als dem Zeitpunkte ihrer Entstehung nach den Mittelpunct seines ganzen Schriftstellersthums bildet.“ u. s. w.

cipue id egisse ut sectas philosophorum vellicaret et demonstraret vitae spatium non sufficere, ut ex tot doctrinis vera eligi possit, ita manifestum esse puto, scriptorem in ultima dialogi parte quam inanem omnem philosophiam duceret aperte significasse. Negat Talbotius,¹⁾ qui Eclecticum illum fuisse efficit ex cap. 52, ubi Lucinus negat se dixisse de omni philosophia desperandum esse, et ex cap. 64, ubi monet ad diversas disciplinas inter se dijudicandas acre et subtile ingenium requiri; sed in errorem, ut mihi videtur, est inductus eo quod non satis attendit, Lucinum his verbis uti in ea disputationis parte, qua quae postulentur in eo, qui veram philosophiam invenire propositum sibi habeat, declarat. In iis enim quae deinde disputat Lucinus demonstrare aggreditur, fieri posse ut vera philosophia nondum sit inventa et Hermotimo iterum roganti, utrum de philosophia desperandum sit necne, nihil respondet (cap. 67). Nemo autem, opinor, in Talbotii

1) Oeuvres complètes de Lucien de Samosate, traduction nouvelle par Eugène Talbot. Paris chez L. Hachette et C^o 1857. Introduction et Notice p. VII: „Si je ne m'abuse sur le sens d'un passage du traité intitulé *Hermotimus*, il me semble que Lucien, loin de se renfermer dans le scepticisme exclusif, qu'il est de tradition de lui reprocher, déclare avec une sincérité parfaite, qu'il est sérieusement en quête de la vérité philosophique.“

sententiam ibit qui ad ea, quae cap. 70 sqq. in philosophorum demonstrandi rationibus reprehendit, et ad ea, quibus Hermotimum consolari conatur, attenderit.¹⁾ Maximi praeterea momenti ad nostram sententiam corroborandam sunt quae idem in geometria²⁾ reprehendit: nam qui in doctrinis mathematicis de vero inventiendo desperat, is certe philosophiae contemplationi multo minus fidei tribuat necesse est. Idem de philosophia judicium in aliis scriptis hujus periodi Lucianum tulisse, deinceps demonstrabimus. Transeamus igitur ad dialogum, qui *Parasitus* inscribitur.

Hunc dialogum recte, ut opinor, Planckius³⁾ ante annum 166 p. Ch. n. confectum esse statuit. Etsi enim externa indicia ad actatem definiendam plane desunt, tamen tum ex materia et tractandi ratione, quae est mere sophistica, tum ex imperfecta dialogi forma, tum e facetiis et salibus, quibus philosophos et rhetores ludit, efficio, hoc opus iis annumerandum esse, quae brevi post studiorum conversionem Lucianus composuit. Quac ad quaestionem propositam pertinent, haec sunt.

1) Cf. supra dicta pag. 29: „Postremo cett.”

2) *Herm.* c. 74.

3) I. l. p.

Simo parasitus, postquam artem esse parasiticam ratione ac via demonstravit, jam magis magisque se effert atque omnium artium optimam eam esse gloriatur.¹⁾ Philosophia et rhetorica, quae omnium fere consensu primum inter artes tenent locum, quanto sint parasitica arte inferiores, ita demonstrare aggreditur, ut illas ne esse quidem usquam in natura et mundo statuat. Nam nec rhetorica nec philosophiam unum idemque habent omnes. Arithmeticam ubique terrarum eadem est; philosophorum scholae multae sunt ac variae, quae neque in principiis neque in finibus consentiunt. Attamen aliae artes venia fortasse dignae, si in iis aliquid sit parum conscientiens; φιλοσοφίαν δὲ τίς ὡς ἀναγνωστὴν ἀνασχοιτὸν μὴ μίαν εἶναι, καὶ μηδὲ σύμφωνον αὐτὴν ἔσυτῇ μᾶλλον τῶν ὀργάνων; μία μὲν οὐκ ἔστι φιλοσοφία, ἐπειδὴ ὅρῳ καὶ ἀπειρον οὐσαν· πολλαὶ δὲ οὐ δύνανται εἶναι, ἐπειδὴ περὶ η̄ φιλοσοφία μία. Contrarium apud parasitos obtinet, qui omnibus in rebus eadem sentiunt.

Totam hanc argumentandi rationem sophistam olere non est quod moneam; idem de toto dialogo dictum volo. Nisi ergo nobis ex Hermotimo constaret, quid de philosophia statuerit Lucianus, nihil ex his dictis effici posse statueremus. Nunc autem ambobus his

I) Cf. *Paras.* cap. 26 sqq.

dialogis collatis pro certe affirmare ausim, Lucianum, quac in *Hermotimo* contra philosophiam serio disputavit, eadem in *Parasito* ludentem tetigisse.

Quae deinceps disputat Simo, quibus veteres et ac quales philosophos acerbissime perstringit, haec nihil ad quaestionem propositam faciunt, quae, quid Lucianus de philosophia statuerit, inquirit. Ad aliud igitur opus transeamus, dialogum dico, qui *Piscator* inserbitur.

In hoc dialogo multi insunt loci, qui quam vehementer de vera philosophia invenienda desperaverit,clare testantur.

Dialogi argumentum hoc fere reddit. Principes antiquitatis philosophi postquam a Plutone impetrarunt, ut per unum diem reviviscant, Athenas se conferunt, ut a Luciano qui ipsos Iudibrio habuisset gravissimas sumant poenas. Ibi multis precibus ab illo exorantur ut litem Philosophiac dijudicandam permittant. Lucianus postquam consilium hoc ut talibus viris dignum laudavit, ita pergit: Ποῦ τὴν Φιλοσοφίαν εὑροι τις ἄν; οὐ γὰρ οἶδα ἐνθα οἰκεῖ, καίτοι πάνυ πολὺν ἐπλανήθην χρόνον ἀναζητῶν τὴν οἰκίαν, ως συγγενούμην αὐτῇ εἴτα ἐντυγχάνων ἄν τισι τοιβάντια περιβεβλημένοις ναὶ πώγωνας βαθεῖς καθειμένοις παρ' αὐτῆς ἐκείνης ἤκειν φάσκουσιν, οὐδέμενος εἰδέναι αὐτὸν ἀνηρώτων· οἱ δὲ

πολὺ μᾶλλον ἐμοῦ ἀγνοοῦντες η̄ οὐδ' δλως ἀπεκρίνοντό μοι, ως μή ἐλεγχοίντο οὐκ εἰδότες, η̄ ἄλλην θύραν ἀντ' ἄλλης ἀπεδείκνυν. οὐδέπω γοῦν καὶ τῆμερον ἐξενρεῖν δεδύνημαι τὴν οἰκίαν. π. τ. λ. ¹⁾

Mox tamen prodit Philosophia, quam Virtus, Temperantia, Justitia, Eruditio, postremo Veritas prosequuntur. Ingenue Lucianus fatetur sc Veritatem non cernere, quam obscurius ita indicaverat Philosophia: η̄ ἀμυδρὰ δὲ αὕτη καὶ ἀσαφῆς τὸ χρῶμα η̄ Ἀλήθειά ἐστιν. Novis igitur indiciis Veritatem Luciano ostendit Philosophia: τὴν ἀκαλλώπιστον ἐπείνην οὐχ ὁρᾶς, τὴν γνωνὴν, τὴν ὑποφεύγουσαν ἀεὶ καὶ διολισθάνουσαν. Tandem vix illam agnoscit: 'Ορῶ νῦν μόγις.

Ex his dictis cum Hermotimo collatis officio, Lucianum nullam probasse philosophiam, imo de veritate invenienda desperasse. Sunt qui ex cap. 6 et 30 contrarium affirmant, quorum sententiam refellere instituam in ea disputationis parte, qua, qualem philosophiam laudaverit Lucianus, exponetur.

Nullibi vero tam aperte odium in philosophiam professus est quam in dialogo, qui Necyomantia inscribitur. Hujus vero libri fidem multi viri docti addubi-

1) Cap. 11.

2) Cap. 16.

tarunt, Solanus, Wielandus, Jacobsins, Jacobus, Wetzlarius: qui, quum in eo libello iisdem interdum verbis quae in aliis scriptis dixit Lucianus repeti viderent, hunc dialogum illi abjudicarunt. Recte autem Hermannus monuit, ejusmodi dictorum repetitionem ad libri auctoritatem infringendam minime sufficere, provoeans ad illud Isoeratis dictum Epist. VI, § 7: *καὶ γὰρ ἀν ἀτοπος εἰη, εἰ ὁρῶν τοὺς ἄλλους τοῖς ἐμοῖς χρωμένους αὐτὸς μόνος ἀπεχοίμην τῶν ὑπ' ἐμοῦ πρότερον εἰρημένων.* Accedit quod Lucianus saepissime hoc jure usus est; quod cuique apparebit, qui comparaverit *Ver. Hist.* II, 9, cum *Mort. Dial.* 12; *Ver. Hist.* II, 19 (*αἱ δὲ γυναικές εἰσι πᾶσι κοιναὶ καὶ οὐδεὶς φθονεῖ τῷ πλήσιον, ἀλλ᾽ εἰσὶ περὶ τούτο μάλιστα Ηλατωνικώτατοι*) cum *Vit. Auct.* cap. 17; *Nigrin.* cap. 30 cum *Mort. Dial.* 5, 6, 7, 8, 9. Nulla igitur ratio est, cur non Lucianeum habeatur hoc opus, cuius summa huc fere reddit.

Menippus descendit in Orcum, ut optimam vitae agendae rationem diseat: frustra enim a poëtis, qui de Diis perversissima quaque narrabant, frustra a philosophis, qui vehementer inter se dissentiebant, talia doceri exspectaverat. Ingenue autem fatetur se inde maximum cepisse solatium, quod non solus verum nesciret, sed cum sapientissimis hominibus humanam

sortem experiretur. In Orco Tiresiam adit, ut a praeclaro illo vate rectum vivendi modum doceatur; qui, cum primum sententiam effari recusat, tandem precibus motus haec praecipit, cap. 21: ὁ τῶν ἴδιωτῶν ἄριστος βίος, ὥστε τῆς ἀφροσύνης πανσάμενος τοῦ μετεωρολογεῖν παὶ τέλη παὶ ἀρχὰς ἐπισκοπεῖν, παὶ καταπτυσας τῶν σοφῶν τούτων συλλογισμῶν παὶ τὰ τοιαῦτα λῆρον ἡγησάμενος, τοῦτο μόνον ἐξ ἀπαντος θήρασαι, ὅπως τὸ παρὸν εὖ θέμενος παραδραμῇ γελῶν τὰ πολλὰ παὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδαῖως.

Ne quis ex his verbis iniquum de Luciano judicium ferat, duo monenda sunt: primum ἴδιωτας non dici increditos, sed, ut ex cap. 4 appareat idque convenienter Graceae linguae usui, eos qui philosophiae studiis non operam dant; ¹⁾ alterum, non omnia quae Menippus disserit Luciano esse tribuenda. Scriptor enim,

1) Conf. Fug. cap. 4: πρὸς τίρων οὐν ἡδίκησαι, εἰ μῆτε τοὺς ἴδιωτας μῆτε τοὺς φιλοσόφους αἰτιᾷ; Pisc. 34: οἱ ἴδιωται ὅπόσοι συμπίνοντι γελῶσι δηλαδὴ παὶ καταπτύσσοντι φιλοσοφίας; Herm. cap. 67: ἄλλα δεήσει ἡμᾶς ἴδιωτην τινὰ βίον ζῆν ἀποστάντας τοῦ φιλοσοφεῖν. Plato. Leg. XI, 933: ἐάν μὲν ἱστρός ὡν τυγχάνῃ ἐάν δέ ἴδιώτης. Prot. 322. C.: εἴς ἔχων ἱστοικὴν πολλοῖς ίκανὸς ἴδιωτας. Prot. 322. C.: ως πρὸς τοὺς ἴδιωτας παὶ μηδὲν αὐλησιως ἐπαΐοντας.

ut recte monuit Wielandus¹⁾, in Menippi persona
informanda servavit legem illam poëticas:

„Servetur ad imum,

qualis ab incepto processerit, et sibi constet.“

Haec de *Necyomantia*.

Collatis his dialogis, efficimus, Lucianum de vera
philosophia desperasse; restat, ut quid de praecipuis
philosophorum placitis statuerit explicemus.

1) Wieland. Th. 1, p. 202: „Unstreitig bediente sich dieser (Lucian)
„der Gelegenheit, manches, das er nicht geradezu in seiner eigenen
„Person hätte sagen mögen, dem Menippus in den Mund zu legen:
„aber manches musste er ihn doch auch wohl bloss darum sagen
„lassen, um seinem bekannten Charakter getreu zu bleiben. Lucian ist
„in vielen seiner Dialogen Dramatischer Dichter und an das Gesetz
„„servetur ad imum, qualis ab incepto processerit, et sibi constet“
„eben so gut gebunden als ein Anderer.“

QUID LUCIANUS DE PRAECIPUIS PHILOSOPHORUM
PLACITIS STATUERIT, EX SCRIPTIS SECUNDÆ
PERIODI EXPONITUR.

Haec nostræ disquisitionis pars clarius etiam demonstrabit, vera esse quae supra a me de Luciano disputata sunt. Videbimus enim illum, quum placita de Dei providentia deque hominum libertate se invicem tollere, placita autem de Deo mundi opifice et de animi immortalitate multis partibus contra sanam rationem pugnare opinaretur, de philosophia desperasse, ut quae res tantas tantique momenti explicare non posset. Iorū singula deinceps aggressuri primum de Deo mundi opifice quid statuerit videamus.

In dialogo, qui *Icaromenippus*¹⁾ inscribitur, primas tenet partes festivus ille Menippus, qui, quum neque

1) Quae supra de Menippi persona in scriptis Lucianeis disputavimus hic repetere non opus est.

in rebus physicis neque in quaestionibus metaphysicis vera a philosophis accipere possit, ipsum adit Jovem, ut de rebus tanti momenti certior fiat. Ingenuo fatetur se de mundi origine, de naturae consilio, de summo opifice nihil certi potuisse invenire¹⁾, et acerbissime in philosophos invehitur, qui de incertissimis quibusque rebus certa se tradituros professi contraria et absurdia proferant: πρῶτα μὲν γὰρ αὐτοῖς οὐ περὶ τοῦ πόσμου γνώμη διάφορος, εἰ γε τοῖς μὲν ἀγέννητος τε καὶ ἀνώλεθρος εἶναι δοκεῖ, οἱ δὲ καὶ τὸν δημιουργὸν αὐτοῦ καὶ τῆς οὐσίας τὸν τρόπον εἰπεῖν ἐπόλυμησαν, οὓς καὶ μάλιστα ἐθαύμαζον Θεόν μέν τινα τεχνίτην τῶν ὀλιών ἐφιστάντας, οὐ προστιθέντας δὲ οὔτε ὅθεν ἡκουον οὔτε διόπου ἔστως ἐκαστα ἐτενταίνετο· καίτοι πρό γε τῆς τοῦ παντός γενέσεως ἀδύνατον καὶ χρόνον καὶ τόπον ἐννοεῖν.²⁾ Neque tamen eorum se sententiam probare qui deos esse negent, nude addit. Cum his dictis conferre operae pretium est, quae in *Hermotimo* cap. 81 de philosophia Stoicorum pantheisticā disserit homo rusticus: ἀκούομεν δὲ αὐτοῦ (Stoicae philosophiae sec-

1) Cap. 4: οὐ γὰρ εἴχον εὑρεῖν οὐθ' ὅπως ἐγένετο οὔτε τὸν δημιουργὸν οὐτ' ἀρρήν, οὐδὲ διά τοῦ τέλος ἐστὶν αὐτοῦ.

2) Cap. 8.

tatorem dicit) λέγοντος, ὡς καὶ ὁ θεὸς οὐκ ἐν οὐρανῷ
ζοτιν, ἀλλὰ διὰ πάντων πεφοίτηνεν, οἷον ξύλων καὶ
λίθων καὶ ζῴων ἄγριον καὶ τῶν ἀτιμοτάτων. Ex his
locis pro certo efficere licet, Lucianum in gravissima
hac quaestione nullius sectae sententiam probasse,
sed omnem potius veri inveniendi spem abjeeisse.
Haec de Deo mundi opifice; nunc quid de Dei pro-
videntia et existentia (ut hoc verbo utar) statuerit
videamus.

In dialogo, cui titulus est *Jupiter Tragoedus*, Pater
deorum hominumque inducitur sollicitus de eventu litis,
quae Damini Epicureum inter et Timoclem Stoicum de
quaestione, utrum dii essent et providerent rebus humanis,
mota erat. Jupiter dicos convocat, ut quodnam huic
malo remedium adhibetur delibèrent. Quaestione pro-
posita, omnes tacent praeter Momum, qui deos acerbissime
reprehendit, talia incusans: Jure ab Epicureis
deorum providentiam tolli, qui probos homines maximis
in miseriis versari, malos summa felicitate gaudere
saepe videant, oracula nihil certi prodere, poëtas
pessima quaeque de diis narrare, res denique, quae
hominibus utilitatem afferant, mortales habere auctores
bene sciant. Neptunus fratri suadet, ut istos homines
quoquomodo e medio tollat; at Jupiter, cum neque
contra Fatum hominem interficere queat, et ipse εξ

εργατης κοστειν nolit, istud consilium rejicit; neque magis, quac Apollo et Hercules suadent, Jovi placent. Diis ita deliberantibus, repente Hermes *αγοραῖος* nuntiat Stoicum et Epicureum jam manus conseruisse; deliberationes igitur missas faciunt, ut quae ab utroque afferantur audiant.

Stoicus, postquam circumstantium coronam in Damin excitare frustra conatus est, quibus argumentis efficiat deos providere rebus humanis exponit. Primum e certo ordine, qui in natura totoque mundo agnosceitur, id apparere dicit. Epicureus hoc argumentum petitione principii laborare respondet; nam esse in natura certum ordinem satis constare, a providentia autem illum ordinem esse institutum minime inde sequi; a fortuito initio potuerunt ista originem duxisse et nunc in statu illo consistere. Attenuato hoc arguento, Stoicus Homero se fidem habere dicit, qui deos providere mortalibus docet. Damis vero ut facile concedat Homerum optimum esse poëtam, ita negat aut illum aut alium quemvis poëtam de rebus divinis idoneum testem adhiberi posse; jucunda enim et dulcia veris saepe anteponi a poëtis.

Ad justitiam divinam, in Euripideis fabulis spectatorum ante oculos positam, provocat Stoicus. Damis autem inane hoc argumentum ita refutat, ut simul

quam diversa Euripides de rebus divinis docuerit, quum nulla legis poëticae necessitas urgeret, clarissime ostendat. Desperata causa ad argumentum ex absurdo confugit Stoicus: Omnes igitur errant populi, qui et credunt esse deos et illos colunt? Damis respondet, populos si ulla alia in re, in rebus divinis certe mirum quantum inter se dissentiri. Porro ex oraculis efficit Stoicus et esse deos et providere mortalibus; adversarius vero paucis exemplis usus fallacia et obscura esse oracula ostendit. Coeli signa, fulmen, tonitru, cetera ejus generis testatur Timocles; Damis autem coeli signis minime probari Jovem tonare et fulminare monet; alia certe affirmant Cretenses qui Jovis sepulcrum monstrant. Iam aliud argumentum profert Stoicus. Ut navis, nisi gubernatoris manu regatur, non rectum tenet cursum, ita mundus sine gubernatoris ope ferri non potest. Damis hanc comparationem vehementer claudicare respondet: gubernator enim quae optima sunt navi consulit et parat; nihil in ea adest quod inutile aut absonum sit, at contraria prorsus in mundo locum habere videmus. Postremo Stoicus in angustias redactus ad syllogismum confugit: εἰ γὰρ εἰσὶ βωμοί, εἰσὶ καὶ θεοί ἀλλὰ μήνες εἰσὶ βωμοί, εἰσὶν ἄρα καὶ θεοί: quo argumento extenuato, ridens discedit Damis, quem Timocles conviciis insequitur.

Negat igitur Lucianus, qui sub Damis persona latet,

deorum existentiam et providentiam certis argumentis probari posse. Transeamus ad ea, quae contra Fatum disputavit.

In *Mort. dial.* XXX Sostratum latronem inducit, qui cum jam in eo esset, ut in Pyriphlegetontem coniceretur, ita se apud Minoëm defendit, ut Fato constituto hominum actiones non esse liberas, itaque homines ipsos jure neque ad suppicia condemnari neque praemiis affici posse ostendat. Uberius idem argumentum tractat in dialogo, qui *Jupiter confutatus* inscribitur, in quo Cyniscus Fato constituto Dei quoque providentiam tolli docet.

Restat ut quid de animi immortalitate statuerit exponamus. Magni momenti ad hanc quaestione sunt quae Lucianus serio loquens in libro, qui *de Morte Peregrini* inscribitur, disserit de Christi sectatoribus, qui spc immortalitatis mortem oppetere non recusabant, cap. 13: πεπείπασι γάρ αὐτοὺς οἱ πανοδαιμονες τὸ μὲν ὄλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι ναὶ βιώσεσθαι τὸν δὲ λόγον, παρ' ὅτι ναὶ παταφρογοῖσι τοῦ θανάτου ναὶ ἐνόντες αὐτοὺς ἐπιδιδόσιν οἱ πολλοί. Ex his dictis luce clarius patet Lucianum omnem spcm vitae futurae abjecisse. Idem efficio e Demonactis effato ab illo laudato, *Dem.* cap. 32: ἄλλον δέ ποτε ἐρωμένον (Demonactem), εἰ ἀθάνατος αὐτῷ η ψυχὴ δοκεῖ εἶναι; Ἀθάνατος,

ἢ φη, ἀλλ' ὡς πάντα. i. e. ut aeterna sunt omnia, quae ē materia sunt conflata.

In beatorum insulae descriptione facete ridet eos, qui de statu hominum post mortem certa docerent: *Ver. Hist. lib. II, cap. 12*: 'Εσθῆτι δὲ χρῶνται, ἀραχνίοις λεπτοῖς, πορφυροῖς. αὐτοὶ δὲ σώματα μὲν οὐκ ἔχοντιν, ἀλλ' ἀναφεῖς καὶ ἀσαροί εἰσι, μορφὴν δὲ καὶ ιδέαν μόνην ἐμφαίνουσι, καὶ ἀσώματοι δυτες ὅμως οὖν συνεστᾶσι καὶ κινοῦνται καὶ φρονοῦσι καὶ φωνὴν ἀφιᾶσι π. τ. λ. Haec de animi immortalitate.

Denique omnes omnino disquisitiones de animi immortalitate, de deo mundi opifice, cet. inanes Lucianum duxisse satis patet ex iis, quae *Bis Acc. cap. 34* contra Dialogum disputat: ἀλλ' ἐγὼ οἴδ' ἀπερι μάλιστα λυπεῖ αὐτὸν, ὅτι μὴ τὰ γλίσγρα ἐκεῖνα καὶ λεπτὰ πάθηματι πρὸς αὐτὸν (Dialogum) σμικρολογούμενος, εἰ ἀθάνατος η ψυχὴ καὶ πόσις ποτίσις δὲ θεός, ὅποτε τὸν κόσμον πατεσκευάζετο, τῆς ἀμιγοῦς καὶ πατὰ ταῦτα ἔχοντης οὐσίας ἐνέχεεν ἐς τὸν υρατῆρα, ἐν ὧ τὰ πάντα ἐκεράννυτο π. τ. λ. Ergo, quod spinosis istis quaestionibus non gaudeo, ideo, inquit, Dialogo invitus sum.

Lucianus igitur cum Dei existentiam et providentiam et animi immortalitatem certis argumentis probari posse negaret, desperavit de philosophia, ut quae in rebus gravissimis verum invenire non posset; maluit enim

Lucianus veritatem non assequi, quam veritate se
efferre, quae se ipsa tueri et dubitationis vim atque
impetum refringere non posset¹⁾.

1) Hermannus 1. 1. 219: „Lieber keine Wahrheit, als eine Scheinwahrheit, die jeder Augenblick vernünftigen Nachdenkens erschüttern muss, dieses war sein Wahlspruch, wie der der Sophisten, von denen sich gleichfalls nicht läugnen lässt, dass sie durch redliches Streben, durch eine nothwendige Entwicklung aus den Systemen ihrer Vorgänger auf diesen Standpunkt gekommen waren; daher dieselbe Resignation, bei ihnen auf die Objective, bei Lucian auf die philosophische Wahrheit u. s. w.

QUID LUCIANUS IN ULTIMA VITAE PARTE DE
PHILOSOPHIA STATUERIT, EX SCRIPTIS
SENILIBUS EXPOSITUR.

Lucianum aetate proiectiore non amplius desperasse penitus de philosophia, sed Epicuri placita amplexum esse, ex iis, quae *Pro Lapsu* cap. 6 et *Alex.* cap. 25 leguntur, efficit Hermannus; hos igitur locos inspiciamus.

In recitatione merc sophistica, quae *ἀπέρ τοῦ ἐν τῇ*

1) Herman. l. l. p. 214: „Eine gänzliche Entschuldigung möchten wir freijlich nicht versuchen, da es aus manchen Spuren nur zu gewiss scheint, dass Lucian, unfähig sich auf jener Höhe philosophischer Resignation, wie der Hermetimos sie ausspricht, dauernd zu halten, sich späterhin doch dem Epikureismus in die Arme geworfen habe, den er früher von seiner Verspottung der übrigen Philosophen keineswegs ausschliesst, der aber allerdings mit seiner handgreiflichen Nüchternkeit den Ansprüchen, die Lucian an die Wahrheit mache, am nächsten kam.“

προσαγορεύσει πταισμάτος inscribitur, narrat Epicurum nonnunquam formulam ὑγιαίνειν epistolis praeposuisse: *καὶ τί σοι τοὺς παλαιοὺς λέγω, ὅπου καὶ Ἐπίκουρος,* ἀνὴρ πάνυ γαῖων τῷ γαῖοιν καὶ τὴν ἥδονὴν πρὸ ἀπάντων αἰγονύμενος, ἐν ταῖς σπουδαιοτέραις ἐπιστολαῖς — εἰσὶ δὲ αὗται ὀλίγαι — καὶ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς φιλτάτους μάλιστα ὑγιαίνειν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ προστάτει; Fateor equidem me non videre, quid ex his verbis ad sententiam suam tuendam efficerit Hermannus; eodem jure ex iis, quae ibidem honorifice de Platone (cap. 4) et de Pythagora (cap. 5) dicuntur, effici liceret eum ad horum doctrinam inclinasse.

Alexandrum inspiciamus. *Liber*, qui *Alexander s. Pseudomantis* inscribitur, post Marci Antonini obitum conscriptus est, ut ex cap. 48 patet, ubi hunc imperatorem θεόν nominat, quod nomen mortuis demum imperatoribus tribui solitum erat: unde efficitur Lucianum sexagenarium fere hunc librum scripsisse. Celsi Epicurei rogatu vitam describit Alexandri, hominis versutissimi et fallacissimi, qui oraculis edendis homines diu deceperat. *Alexandrum* hunc Epicuro ejusque sectatoribus infestissimum fuisse, per totum librum pluribus verbis commemorat: qui rogatus aliquando, quid faceret Epicurus in Orco, respondit: *Μολυβδίνας ἔχων πέδας ἐν βορβόρῳ πάσηται.* (cap. 25.)

Rationes hujus odii Lucianus has fuisse tradit:
 τίνι γάρ ἄλλῳ δικαιότερον προσεπολέμει γόης ἀνθρω-
 πος καὶ τερατείᾳ φίλος, ἀληθείᾳ δὲ ἔχθιστος, η
 Ἐπίκουρος, ἀνδρὶ τὴν φύσιν τῶν πραγμάτων καθεωρα-
 νότι καὶ μόνῳ τὴν ἐν αὐτοῖς ἀληθειαν εἰδότι; οἱ μὲν
 γάρ ἀμφὶ τὸν Πλάτωνα καὶ Χριστόν παὶ Πυθαγόραν
 φίλοι, καὶ εἰρήνη βαθεῖα πρὸς ἐκείνους ἦν ὁ δὲ ἀτεγνωτος
 Ἐπίκουρος — οὗτῳ γάρ αὐτὸν ὀνόμαζεν — ἔχθιστος
 δικαιώς, πάντα ταῦτα ἐν γέλωτι καὶ παιδιᾷ τιθέμενος.
 Haec sunt, e quibus effecit Hermannus Lucianum in
 ultima vitae parte in Epicuri hortis requievisse. Ad
 quam quaestionem dijudicandum alios conferre lubet
 locos, ubi Epicurum cum laude memorat Lucianus,
 quo clarius quid in hoc philosopho praecipue laudaverit
 appareat. Narrat Lucianus Alexandrum odisse urbem
 Amastrin, quod in ea civitate multi Epicuri sectatores
 viverent; eundem Epicureos a mysteriis arcuisse¹⁾, et
 sacerdoti alicui, qui cum Lepido Epicureo amici-
 tiam contraxerat, hoc dedisse oraculum: μὴ πείθου
 Αεπίδω, ἐπεὶ οἱ λυγρὸς οἵτος ὀπηδεῖ. Quibus haec addit
 Lucianus: πάνυ γάρ ἐδεδίει τὸν Ἐπίκουρον, ὡς προεπον,
 ὡς τινα ἀντίτεχνον καὶ ἀντισοφιστὴν τῆς μαγγανείας
 αὐτοῦ.²⁾ Denique ubi narrat impostorem istum Epicuri

1) Alex. cap. 38.

2) Alex. cap. 43.

librum, qui inscrihebatur *πλοιαι δοξαι*, in foro combussisse, sic pergit: οὐδὲ εἰδὼς ὁ πατάρατος, ὃσων ἀγαθῶν τὸ βιβλίον ἔκεινο τοῖς ἐντυγχάνουσιν αἵτιον γίγνεται καὶ οἵσην αὐτοῖς εἰρήνην καὶ ἀταραξίαν καὶ ἐλευθερίαν ἐνεργάζεται, δειμάτων μὲν καὶ φασμάτων καὶ τεράτων ἀπαλλάττον καὶ ἐλπίδων ματαίων καὶ περιττῶν ἐπιθυμῶν, νοῦν δὲ καὶ ἀληθειαν ἐντιθέν καὶ παθαῖσον ως ἀληθῶς τὰς γνώμας οὐχ ὑπὸ δαδί καὶ συκλῆ καὶ ταῖς τοιαυταῖς φλυαρίαις, ἀλλὰ λόγῳ ὄρθῳ καὶ ἀληθείᾳ καὶ παρόργησίᾳ.¹⁾ In ultima hujus libri parte fatetur se hujus impostoris vitam descripisisse Ἐπικονῷῳ τιμωροῦντα, ἀνδρὶ ως ἀληθῶς ἴερῷ καὶ θεοπεσίῳ τὴν φύσιν καὶ μόνῳ μετ' ἀληθείας τὰ καλὰ ἐγνωκότι καὶ παραδεδωκότι καὶ ἐλευθερωτῇ τῶν ὅμιλησάντων αὐτῷ γενομένῳ κ. τ. λ.²⁾ Aliter atque Hermannus hanc Epicuri laudationem interpretatus est Chlebus³⁾, qui censem Lucianum, quae in quemquam hominum cadere negavisset, Epicuro concessisse, non quod reapse sic sentiret, sed propter singulare studium et amorem, quo Celsus, ad quem hunc librum scripsit, Epicurum diligenteret. Nos neque cum Hermanno statuendum putamus, Lucianum Epicureum esse factum, neque Chlebo damus, illum, quae

1) Alex. cap. 47.

2) Alex. cap. 61.

3) I. l. p. 51.

in neminem mortalium cadere posse sexcenties dixisset,
 Epicuro tribuisse. E locis enim supra laudatis manife-
 stum est, Lucianum ubique laudare Epicurum ὡς τινα
 ἀντίτεχνον οὐαὶ ἀντισοφιστὴν τῆς μαγγανείας, atque
 eo pertinent laudes eximiae, quibus illum tam impense
 cumulat. Nimirum Lucianus eo tempore cum Celso,
 Lepido aliisque Epicureis amicitiam contraxerat; fami-
 liariter utebatur amicis, qui quum idem de Dei provi-
 dentia sentiebant, tum etiam pari odio impostores et
 magos persequebantur: accidit igitur, quod plerumque
 fit, ut propter communem hostem et commune periculum
 intestinae dissensiones omitterentur. Accedit quod, quum
 ceteri philosophi, Platonis, Chrysippi et Pythagorae
 sectatores, tacent, Epicureos, qui soli fortiter contra
 Alexandrum pugnavissent, non impense laudare non
 poterat. Itaque magis propter commune superstitionum
 odium et ob naturalem quandam voluntatis consensionem
 Epicuri praeconem se praestitit, quam quod illius de
 rerum natura mundoque placitis esset addictus¹⁾.

1) Recte haec monuit Wieland. I. l. Th. I. p. XL: „Um diese (Aberglaube
 „ und Schwärmercy) so wirksam zu bestreiten wie Lucian, muss man
 „ ihr gebohrner Feind und von der Natur selbst (wie Ulysses gegen
 „ die Zaubereyen der Circe vom Merkur) mit einem Moly versehen
 „ worden seyn, dass alle ihre magischen Einflüsse unkräftig macht: und
 „ wer diess ist, wird sich freylich, wenn ihm die Wahl frey steht,
 „ lieber zu Democrit und Epicur, seine natürliche Verwandtem, halten,
 „ als zu Pythagoras und Plato, deren Vorstellungsart sich mit der
 „ seinigen so wenig als Oel mit dem Wasser vereinigen lässt.“

LUCIANUM PHILOSOPHIAM PRACTICAM
LAUDASSE DEMONSTRATUR.

Non desunt, qui cum Lucianum philosophiam nunc laudibus in coelum extulisse, nunc ludibrio habuisse ex *Pisc.* cap. 29 et e *Nigrino* videant, varium, inconstantem et levem hominem illum appellant. Quum autem ad Luciani ingenium judicandum magni sit momenti, quid hac de re statuendum sit, declarare, in illorum argumenta nunc inquirere luet. Primum in censem veniat locus ex *Pisc.* cap. 30. Parrhesiades a philosophorum principibus ὑβρεως accusatus his fere verbis se coram Philosophia defendit: „derelictâ Rheticâ, sub tua tutela quod reliquum mihi erat vitae transigere in animo habebam; οὐ πειδή μόνον παρέκυψα εἰς τὰ θύμετερα, σὲ μὲν, ὡσπερ ἀναγκαῖον ἦν, καὶ τοισδε ἀπαντας ἐθαυμάζον ἀριστου βίου νομοθέτας δητας καὶ τοις επ' αὐτὸν ἐπειγομένοις χεῖρα ὀρέγοντας, τὰ κάλλιστα

καὶ συμφορώτατα παραινοῦντας, εἰ τις μὴ παραβαίνοι
αὐτὰ μηδὲ διωλισθάνοι, ἀλλ’ ἀτενές ἀποβλέπων ἐς
τοὺς κανόνας οὓς προτεθέινατε, πρὸς τοιτοὺς ἐνθυμίζοι
καὶ ἀπενθύνοι τὸν ἔαυτοῦ βίον, διπερ νῆ Δία καὶ τῶν
παθ' ἡμᾶς αὐτοὺς ὀλίγοι ποιοῖσιν.¹⁾

Quis est ita caecus, qui non videat his verbis, non sine
leni derisione philosophorum illorum qui aliter loquuntur,
aliter vivant, laudari eam philosophiae partem quae ad
recte beateque vivendum pertinet? Lucianus enim etsi
philosophorum placita de mundi principiis rebusque
divinis nihili faceret, tamen nec studium illorum veri
inveniendi improbabit et praecepta moralia satis laudare
non potuit. In dialogo, qui *Bis accusatus* inscribitur,
Platonis placita de rebus metaphysicis procaci risu per-
sequitur²⁾, etsi brevi ante dixit se derelicta Rhetorica
in Academiam aut in Lyceum velle abire³⁾. Idem de
Pythagora dictum volo. Pythagoream enim metempsy-
chosin et numeros saepissime multo sale defricuit⁴⁾;

1) Planck. I. I. p. 18, 25.

2) *Bis Acc.* cap. 34.

3) *Bis Acc.* cap. 32: ἐς δὲ τὴν Ἀκαδήμιαν η ἐς τὸ
Ἄθειον ἐλθόντα τῷ βελτίστῳ τοιτῷ Διαλόγῳ συμπερι-
πατεῖν, ἡρέμα συνδιαλεγομένους, τῶν ἐπαίνων καὶ
πρότων οὐ δεομένους.

4) *Vit. Auct. Gallus.*

ipsum vero Pythagoram *Alex.* cap. 4 σοφὸν ἄνδρα καὶ τὴν γνῶμην θεσπέσιον appellat. Unum habeo, quem excipiam, Soeratem, de quo nostrum minus magnifice judicasse facile concedo. Non necessarium duco, ut quae a viris doctis ad Lucianum defendendum sint prolata¹⁾, hic referam; tantum monuisse sufficiat, nec Socratis aetate nec postea, ipso etiam Luciani aevo, defuisse, qui propter mutuum sectarum odium aut insitam animi malignitatem de patre philosophorum aut falsa ex cogitarent aut aliorum maledicta vel suspiciones in majus augerent²⁾. Hacc de *Piscatore*.

Multo etiam minus in *Nigrino* Lucianum philosophiam illam de schola laudasse jam e fronte libri agnoscere licet. In praefatione enim philosophorum tumidam superbiam facete ludit; in iis autem, quae ex Nigrini persona disputat, Romanorum imprimis dementiam illam, qua equos, hereditates, balnea, ceteraque ejusmodi summis in bonis ponerent, acriter carpit.³⁾ Recte igitur de

1) Wieland, Th. 2. S. 271. Jacob. I. 1. 77. seq.

2) *Alex.* 4: ἀλλ' εἰ τις τὰ χείριστα καὶ βλασφημότατα τῶν ἐπὶ διαβολῆ περὶ τοῦ Πυθαγόρου λεγομένων, οἷς ἔγωγε οὐκ ἀν πεισθεῖν ως ἀληθέσιν οὖσιν, δύως συναγάγοι ἐς τὸ αὐτό, πολλοστὸν ἀν μέρος ἀπαντα ἐπεῖναι γένοιτο τῆς Ἀλεξανδρον δεινοτήτος. Paras. 35, 43 et 56. Conf. Lusae Lect. Attic. p. 112 sqq.

3) *Nigrin.* cap. 12—35.

Nigrino haec dicit Meesius: „Nigrinus, etsi Platonicus, practicam potissimum profitetur philosophiam, et eas de vita et moribus sententias explicat, quas efficacissime ipsum Lucianum satiricis suis scriptis in lucem posuisse videbimus.“¹⁾

Idem de Demonacte dictum volo, qui nullam scholam prae ceteris sectatus est et communis more vitam agere proposuit. Hermannus quidem hunc libellum non magno in pretio habuit, quod rhetorico consilio esset confectum^{2).} Nos autem ut concedimus hoc opusculum a Luciano provectione actate esse conscriptum, ita negamus rhetorico consilio illud esse compositum. Etenim quae dixit et quae fecit Demonax, ea ita nude et sinc

1) Mees. l. l. p. 49.

2) Herm. l. l. p. 219: „Dass er übrigens auch in den reihen der Philosophen selbst einige fand, die seinen Ansprüchen genügten, erklärt er selbst zu wiederholten Mahlen und das Praedicat Θαυμαστὸς γέροντος, das er Epiktet giebt, zeigt seine Achtung für diesen ächten Weisen unverkennbar; ob dieses nämliche aber in solchem Grade, wie Hr. Jacob meint, vom Demonax gelte, möchten wir nicht so gewiss behaupten; schon die Vergleichung mit Sostratos zeigt, dass er jenen gleichfalls als eine Art Naturmerkwürdigkeit, als eine Curiosität im Reiche der Psychologie schildert, zu geschweigen, das dieses Schriftheben sowohl Chronologischen Indicien, als auch der Schreibart, nach mit Herkules und Bacchus gleichzeitig zu fallen und folglich mehr zu rhetorischen als philosophischen Zwecken geschrieben zu seyn scheint.“

verborum ornatu commemorat Lucianus, ut omni rhetoricae artis affectatione vacet narratio. Accedit quod quae in hujus viri laudem profert multis auditorum invisa esse debebant.¹⁾

Ex nullo autem dialogo tam luculenter appareret Lucianum a metaphysicis quaestionibus abhorruisse, contra practicam philosophiam summis laudibus extulisse, quam ex *Hermot.* cap. 79, ubi Stoicum ita alloquitur: ἀλλὰ μήν οὐδὲ ἐκεῖνό πω πατανενόηκας, οἶμαι, ως η μὲν ἀρετὴ ἐν ἔργοις δίπου ἐστίν, οἷον ἐν τῷ δίκαιῳ πράττειν καὶ σοφὰ καὶ ἀνδρεῖα, ὑμεῖς δὲ — τὸ δὲ ὑμεῖς δταν εἴπω, ταὺς ἄκρους τῶν φιλοσοφούντων φημί — ἀφέντες ταῦτα ζητεῖν καὶ ποιεῖν, φημάτια δύστηνα μελετᾶτε καὶ συλλογισμοὺς καὶ ἀπορίας καὶ τὸ πλεῖστον τοῦ βίου ἐπὶ τούτοις διατρίβετε, καὶ διὸ ἀναρατῇ ἐν αὐτοῖς, παλλίνικος ὑμῖν δοκεῖ.

Prae ceteris autem virtutibus omnibus laudavit τὴν αὐτάρχειαν. Neque mirum: cum enim casu omnia regi, morte omnia finiri statucret, non potuit non virtutem illam, quae efficere posset ut sua quisque sorte, quam fortuna dedisset, contentus viveret, aliis omnibus anteponere. Tribus imprimis in dialogis, in *Cynico*,

1) Demonætem religionem popularem et metaphysicas disquisitiones inanes duxisse cap. 11, 32 et 43 narrat.

in *Gallo* et in *Timone* hujus virtutis exempla aequalibus imitanda proposuit. Longum foret horum dialogorum argumenta enarrare; illud monuisse satis habeo, Lucianum in tribus his dialogis vitam pauperem sed honestam vitae in ignavia et deliciis peractae longe anteposuisse.

At vero non satis habuit Lucianus τὴν αὐτάρχειαν laudasse; cum enim videret impostores et adulatores divitiis et honoribus gaudere, probos contra homines prae animi libertate maximis saepe miseriis conflictari, indignatus quod mali in puppi sederent, probi in sentina locum obtinerent, nihil pluris fecit quam ut versutorum impostorum detegendis fallaciis prohiberet, quominus boni homines deciperentur, honesti suis praemiis destituerentur. Neque mirandum, si maxime in pseudophilosophos et pseudoprophetas est invectus, qui venerabile nomen et personam assumerent, quo facilius sua vitia et fraudes tegere possent. Ethico igitur consilio Lucianus satiras scripsit. Negat id quidem Hermannus, qui Lucianum, quum de moribus aequalium corrigendis desperaret, indignatione tantum ductum satiras scripsisse pro certo affirmat: ¹⁾ quam tamen

1) Hermann. l. l. p. 221: „Aber das hiessc das Wesen der Satire ganz erkennen; wenn man ihr den Zweck zu lehren zuschreiben

sententiam probare equidem non possum. Lucianus enim de moribus aequalium corrigendis minime desperavit; nunquam, si hanc spem abjecisset, bonorum virorum vitas descriptsisset, ut claris exemplis propo-
nendis aquales ad recte honesteque vivendum excitaret¹⁾. Accedit, quod utilitatem se spectasse duobus in locis aperte profitetur; in *Alexandro*, cuius extrema verba haec sunt:
οἵμαι δέ, ὅτι ναὶ τοῖς ἐντυχοῦσι χρήσιμόν τι ἔχειν
δόξει ἡ γραφή, τὰ μὲν διεξελέγχουσα, τὰ δ' ἐν ταῖς τῶν
εὐφρονούντων γνώμαις βεβαιοῦσα. Idem affirmat in libro qui de *Mercede Conductis* inscribitur, cap. 5:
περὶ δέ ὥν προεῖπον τῶν πεπαιδευμένων ἄξιον ἀγανά-

" wollte; sie ist gerade der Ausbruch des Unmuthes einer edlen Seele
 " über die Mängel einer Zeit, der sie zu helfen verzweifelt, der nicht
 " durch eine dichtgeschaarte Zuhörerschaft, sondern durch das Echo
 " der leeren Wände gestelgert wird, das ihm nur sein eigenes Gefühl
 " zurückklingt; die Begeisterung des Hasses, wie Schlegel so schön
 " von Juvenal sagt, und wer sollte den belehren wollen, den er
 " hasst? etc."

1) *Dem.* cap. 2: *Περὶ δέ Αημώνωντος ἥδη δίκαιον λέγειν ἀμφοῖν ἔνεικ, ὡς ἐπεῖνός τε διά μνήμης εἴη τοῖς ἀρίστοις τόγε νατ' ἐμὲ, ναὶ οἱ γενναιότατοι τῶν νέων ναὶ πρὸς φιλοσοφίαν ὁρῶντες ἔχοιεν μὴ πρὸς τὰ ἀρχαῖα μόνα τῶν παραδειγμάτων σφᾶς αὐτοὺς ὁνθυίζειν, ἀλλὰ ναὶ τοῦ ἡμετέρου βίου νανόνα προτίθεσθαι, ναὶ ζῆλοῦν ἐκεῖνον, ἀριστον ὥν οἰδα ἔγω φιλοσόφων γενόμενον.*

πτεῖν καὶ πειρᾶσθαι ὡς ἔντι μάλιστα μετάγειν αὐτοὺς
καὶ πρὸς ἐλευθερίαν ἀφαιρεῖσθαι. Quibus ex locis
efficio, Lucianum satiris scribendis ethicum consilium
persecutum esse. Quae si vere a me sunt disputata,
haec in parte laude dignus est scriptor, qui, pro veri
rectique amore qui in ipso inerat, hominum odio se
obviam ferre non dubitavit, si modo posset *idonea*
dicere vitae.

THESES.

I.

Injuria Bruckerus, Planckius, alii, negant vera esse quae de Peregrini morte Lucianus memoriae tradidit.

II.

Nullo jure Chlebus (*de Luciano philosopho*, p. 50) statuit, Lucianum opinione, qua animi immortalitatem rejiceret, ita esse usum, ut libidinum dulcedinem præ ceteris omnibus expetendam esse statuerit.

III.

Recte Planckius (*Quaestiones Lucianeae*, p. 191): qui ut *Nigrinum* ita *Cynicum* propter argumentorum gravitatem a Luciano scriptum negant, ut Solanus, alii, parum mihi videntur Luciani ingenium perspexisse."

IV.

Male idem (l. l. p. 10), quum concedit in libello, qui *Astrologia* inscribitur. et ingenii aciem et sermonis concinnitatem desiderari, eum tamen a Luciano juvete illum scriptum esse statuit hoc usus arguento: "Ut

maximae res ita splendidissima etiam ingenia a minimis
saepissime proficiuntur initii, quorum vestigia in iis
quae seniori aetate scripscrunt, vix inveneris.⁴⁴

V.

Jure Groteus (*Hist. of Greece*, tom. VI p. 336) statuit
in concione Atheniensium, qua de insula sphacteria
deliberaretur (Thuc. lib. IV, cap. 27), non Cleontis sed
Niciae agendi rationem fuisse improbandam.

VI.

Jure Thucydidem ob rem male gestam condemnarunt
Athenienses (Thuc. lib. IV, cap. 103 sq.)

VII.

Recte Plattner (*der Proc. bei den Att.* p. 111) statuit
συμβολαίας δικας (Thuc. lib. I, cap. 77) esse lites, quae
actionibus publicis nituntur.

VIII.

Jure Rowlinson (Herod. th. III p. 356) Grotei sententiam Perioecos post Lycurgum exstitisse statuentis,
rejicit.

IX.

Jure Westermannus negat orationem, quae πρός
Ἄφοβον φεύδομαρτυριῶν inscribitur, Demostheni esse
tribuendam.

X.

Recte Stuveus Olynthiacarum orationum solitum or-
dinem ita mutandam censet, ut secunda ante primam
ponatur.

XI.

Recte Beckerus (*Handb. der Röm. Altherth. th. II*, 1 Abth. 126 sqq.) docet Decemviros legibus scribendis eo consilio esse institutos ut jurisdictionem emendant.

XII.

Assentior Langio (*über Zahl und Amtsgewalt der Consulartribunen*) statuenti, tribunorum militum consulari potestate legitimum numerum initio fuisse *senarium*.

XIII.

Male reipublicae consuluit Metellus Scipio, quum legem Clodiam de censoribus abrogaret.

XIV.

Rejicienda eorum sententia (Hirtii, Zumptii,) qui stant Curtium Rufum sub Augusti regno vixisse.

XV.

Non adstipulari possum summi viri Macaulaei effato (*Crit. and Hist. Ess. th. IV p. 5*): „We think, that, as civilisation advances, poetry almost necessarily declines.“

XVI.

Minus recte Macaulaeus (*Crit. and Hist. Ess. vol. III p. 98*): „The Epicurean, who referred all happiness to bodily pleasure, and all evil to bodily pain, might have been expected to exert him self for the purpose of bettering his own physical condition and that of his neighbours.“

XVII.

Recte Hegelius (th. XIII p. 134) : „Was wir Orientalische Philosophie nennen, ist weit mehr die religiöse Vorstellungsweise der Oriëntalen, der es sehr nahe liegt für Philosophic genommen zu werden.“

XVIII.

Horat. lib. 1, *Carm.* XXXVII vs. 24 legendum :

nec muliebriter
expavit ensem nec latentes
classe cita properavit oras ;
vulgo reparavit.

XIX.

Soph. *Antig.* 1029 legendum :

ἀλλ᾽ εἶπε νονθετοῦντι μηδὲ ὀλωλόται κέντει.
vulgo ἀλλ᾽ εἶπε τῷ θανόντι πτέ.

XX.

Ibid σιδ' οὐ πέφυκας πάντα προσκοπεῖν ὅσα
 λέγει τις, η̄ πράσσει τις η̄ φέγειν ἔχει.
 τὸ γὰρ σὸν δῆμα δεινὸν ἀνδρὶ δημότῃ,
 ἐμοὶ δ' ἀποίειν ἔσθ' υπὸ σκότου τάδε
 τὴν παιδα ταινῆν οἵ ὁδυρεται πόλις
 λόγοις τοιούτοις, οἵ σὺ μὴ τέρψει κλιτῶν
 vulgo in primo versu σοῦ δ'οῦν πέφυκα πτέ et ultimus
 versus λόγοις τοιούτοις πτέ. post tertium τὸ γὰρ
 σὸν δῆμα etc. ponitur.



